Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

opus dixerat. Passa est autem x. kl. ianuarij. Corpus autem
eius cum omni diligencia est curatum. Taliarcus vero persecutor
eius leprosus factus intra sex dies consumptis carnibus exspira-
uit. Beati quoque seruuli hodierna dies agitur. de quo beatus
Gregorius in omelia scribit. Hic beatissimo fine glorificatus
sepultus est in ecclesia beati Clementis episcopi et martiris. Ubi ob com-
mendandam eius sanctitatem. adeo tubam crebrime miracula
fiunt. Passio sancti gregorij martiris ix kl. ian. A

Temporibus diocletiani et maximiani impera-
torum. talis furor sacrilegus exardescebat per cunc-
tam ytaliam. ut una esset apud omnes ydolorum
cultura. ut si quis non perscitus ydolis immolaret.
penis diuersis cruciaretur. Erat uir quidam nomine
flaccus qui maximiano imperatori dixerat ut omnia ydola eri-
geret. Cumque introisset in ciuitatem spolitanam. iussit sibi
tribunal in medio foro collocari. et precones per omnes pla-
teas mitti. ut omnes simul ciues ante uestigia eius in
medio foro consisterent. Cumque congregatus fuisset omnis populus
in medio foro. flaccus dixit tyranno. Isti omnes dijs nostris
deseruiunt. Cui tyrannus dixit. Isti omnes quos conspicit
pietas tua deorum culturam secuntur. iouem mineruam et
asclepium deos immortales. qui propiciantur omni mundo.
Hec audiens flaccus gauisus est gaudio magno. et
continuo iussit omnes turbas dimitti. Beatus uero gregorius
erat constrictus in ciuitate spolitana. ieiunijs et orationibus
suis sanos reddebat. et spiritus immundos eiciebat. et in lecto
infirmantes sanabat. leprosos mundabat. cecos illuminabat.
et corda paganorum multorum ad dominum ihesum christum conuertebat.
templa uero paganorum et simulachra eorum in terram eicie-
bat. Audiens hec tyrannus quod beatus gregorius multa templa
deorum exterminasset. et paganorum corda in christi amorem
conuertisset. iratus nimis nunciauit hec flacco dicens.
Est quidam uir seductor multorum in ciuitate spolitana